

A FRANCESCO MARESCALCO

Bologna, giugno 1436

Ed. Tonelli, I, p. x. Nei mss. la lettera compare nella seconda silloge (II 5,9). Datata 1436 da Wilmanns (p. 290; 1435, per errore, a p. 291), il termine *post quem* è costituito dal soggiorno di Eugenio IV a Firenze (sino al 18 aprile 1436), il termine *ante quem* dall'invio al Niccoli di una copia di questa lettera (17 luglio 1436); infine, la lettera che la precede, nella seconda silloge, è datata 26 maggio 1436.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco Ferrariensi

5 Scripsi olim diversis in locis ac temporibus plures epistolas ad Nicolaum Nicolum, Florentinum virum doctissimum et mihi ab ipsa mea adolescentia summa necessitudine ac benivolentia coniunctum. Ee scripte sunt a me variis de rebus domesticis ac privatis nostris, prout occasio temporum ac negotiorum conditio ferebat, cum in ipsas conicerem quicquid in buccam venerat, ita ut etiam verba quedam vulgaria, quandoque iocandi causa, inserantur. Neque enim solum commendabam epistolis que agebantur a me aut dicebantur, 10 sed etiam tanquam ad me alterum scriberem, curas et cogitationes meas.

15 Scripsi autem illas ex tempore ut plurimum et manu veloci, ut rescribendi neque otium esset, neque voluntas, quo accidit ut exemplaria earum nulla apud me remanerent. Neque enim scripta mea unquam magni feci neque facio, tunc maxime cognoscens quam parum dicendi facultate possim, cum sumpto calamo animum ad

7 Cic. *Att.* 1, 12, 4

---

5 ee] et n<sub>1</sub>

scribendi curam accomodavi. In quo persepe ita mihi ipsi desum, ut  
rudis atque ingenii inops mihi videar in scribendo, cum non solum  
sententie aliquando, sed etiam verba deficient, licet diutius quid  
20 dicam investiganti.

Verum cum intelligerem nonnullos, sive commotos benivolentia,  
sive leviora quedam sectandi studio adductos, epistolas meas  
qualescunque sint, tum querere diligenter, tum libenter ac studiose  
legere, rogatus a multis, ut eas conquirerem ac in volumen con-  
25 cerem ad communem rudium utilitatem, satisfeci, et quidem ex  
parte, amicorum voluntati, non quidem ut existimem aliquo in pretio  
illas apud doctos futuras, sed ne negem petentibus quod parvo labore  
exsolvi queat.

Itaque cum pontifex nuper esset Florentie, sumpta facultate per-  
30 quisivi apud Nicolaum, qui aliqua ex parte illas diligenter servarat,  
quasdam ex eis litteris, quas olim ad eum misissem, dedique operam,  
ut per librarium meum transcriberentur. Licet autem multe decessent,  
quas memineram me olim scripsisse, que videri poterant paulo po-  
litiones, nolui tamen, ut aliarum amissione harum quoque, quas  
35 repereram, memoria tam cito aboleretur. Unde parvum libellum  
ex his confeci, ut esset, unde qui vellent, in otio vel legendi, vel  
ridendi materiam sumerent. Hoc autem volumen, quanvis indoctum  
et haud magne rei hominem representare videatur, tamen quale-  
cunque id sit, mi Francisce, tibi mittere decrevi, et docto homini,  
40 et mihi amicissimo, qui meis epistolis plurimum delectaris, ut et  
amorem in me tuum augeas et hoc quasi stimulo quodam legendi  
ad maiora quedam, hoc est ad imitandam, a quo longissime absum,  
priscorum eloquentiam, inciteris. Leges igitur, cum tempus vacuum  
nactus eris a maioribus negotiis, et si qua in re inter legendum of-  
45 fenderis, dabis veniam vel ignorantie, vel verbositati. Vale.

36 vellet R